

Suffragatur in primis Divus Ambrosius lib. 10. in Lucam, ad illa verba, *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*, quem non tam expressisse, quam exscripsisse Canus visus est. Ergo pro me doluit Christus, qui pro se nihil habuit, quod doleret; & sequestrata delectatione divinitatis æternæ, redio meo infirmitatis afficitur. Sequestrationem illam delectationi divinitatis æternæ passionis tempore occurrentem, quid commodius, quam gaudii ex divina visione profluentis repressionem a Cano assertam intelligimus?

Hanc Divi Ambrosii mentem esse, docet Societatis scriptor longe doctissimus Alphonsus Salmeron, qui & Cani doctrinam hac parte summopere commendat, uti solvendo nodo intricatissimo opportunam, tomo 10. tract. 11. de tristitia animæ Christi. Secundum sententiam Beati Ambrosii, de qua superius (sequestrata delectatione divinitatis æternæ) & quorundam aliorum, qui eum in hoc secuti videntur, Christus sponte privavit se consolatione ex visione Dei resultante, quo sic magis peccato satisficeret, & tristitia convenienti delectationem nostram in illo habitam expurgeret: Et hoc usque ad mortem. Nam propterea suscitatus dicit, *Notas mihi scisti vias vite, adimplebis me læticia cum vultu tuo: delectationes tue in dextera tua usque in finem: Nam quemadmodum, dum vivit, suspendit anime gloriam in corpus redundantem, ut possit pro nobis & pati, & mori; ita ad tempus per aliquot horas cepit tristari, id est suspendere delectationem anime, que ex visione Dei resultabat, ut possit pro nobis supremum & timoris, & tristitiæ sensum habere; quod ingens erga Nos Charitatis argumentum fuit. Nam difficile capere possumus, quomodo summus dolor existeret cum summo ejus gaudio. Nam etsi una manus possit in summo esse frigida, posita in nivibus; & altera in summo calida, posita in igne: tamen quod una & eadem manus simul sit frigidissima, & simul calidissima, vix intelligimus. Quomodo dici possit, ut alias etiam tetigit, aliam esse rationem, propterea quod eadem voluntas non secundum idem fuit summe beata, & summe tristis, sed secundum diversas anime rationes, nimirum superiorem, & inferiorem.*

Accedit Maldonatus ejusdem Societatis Theologus non ignobilis, & Scripturarum interpres celeberrimus, in caput 26. Matthæi, ad hunc vericulum, *capit contristari, & maestus esse*. Ubi questionem movet, qui fieri poterit, ut Christus, cum beatus fuerit, tristitiam habuerit? Rejicit in primis eorum opinionem, qui illum secundum inferiorem tantum anime partem tristatam ajunt: tum subdit, in Cani sententiam descendens: *Melius igitur alii, dispensatione quadam factum fuisse dicunt, ut, cum Christus beatus esset, tristitiam etiam in superioriorem anime partem admiserit. Nam sicut beatitudinem suam cobibere potuit, ne deflueret in corpus, ut pati possit; ita premere eam potuit, & quodammodo occultare, ut ad tempus tristitia cederet, que una passionis sue pars futura erat.*

Explicatius vero Gregorius de Valentia, cum officiosa quoque Melchioris Cani commendatione, 3. parte, quæst. 9. puncto 2. Quomodo vero Christus, etsi fuerit secundum animam beatus, poterit nihilominus non solum secundum corpus pati, sed etiam secundum animam tristari, & angustari, explicat bene Canus: quia scilicet divinitus passionis tempore factum est, ut ex visione beatifica non ad animam quidem aliqua delectatio manaret. Quamquam sunt etiam, qui sentiant, potuisse cum summa delectatione orta ex beatitudine consistere maximum dolorem, & tristitiam, respectu aliorum objectorum. Sed illa expositio Cani consonat magis cum magnitudine, & acerbitate passionis, quam existimamus

fuisse in Christo: & sic demum melius intelligitur, Christum in passione etiam a Patre suo fuisse derelictum, ipse hoc quod his prohibuerit redundantiam illam beatificæ delectationis; sicut ipse Dominus in cruce clamavit, *Deus Deus meus, ut quid me dereliquisti? Matthæi 27.*

Hæc si Suarez, si Vasquez, si Lugo attentius perpendissent sodalium suorum egregia testimonia, non ita forsitan incaute Cani sententiam censuris proscidissent, & a Theologorum nemine propugnatam affirmassent.

Sed & numquid, vel ob id maxime, probanda venit ea Cani sententia, quod faciliorem nobis viam sternat, qua nonnullas veterum Patrum duriores loquendi formulas exponamus, qui de Christi derelictione differentes ad illa Evangelii verba, *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* divinitatem a Christo brevi aliquo tempore recessisse volunt, & ab illo aliquandiu fuisse separatam?

Sic Divus Ambrosius lib. 10. in Lucam, hæc Evangelistæ verba recolens, clamans voce magna emisit spiritum, in hunc sensum interpretatur. *Evidens est manifestatio contestantis Dei secessionem divinitatis, & corporis: Sic enim habes, clamavit Jesus voce magna dicens, Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Clamavit homo separatione divinitatis mortuus.*

Sic Divus Hilarius commentario in Matthæum cap. 3. clamor ad Deum, corporis vox est, recedentis a se verbi Dei contestata dissidium.

Sic S. Epiphanius hæresi 69. n. 62. hæc Christi spiritum emittentis verba perpendens, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* sic habet: *videns divinitatem jam in prociatu quodam esse, ut sanctum corpus desereret, ex ipsius hominis Dominici persona, hoc est, humane nature a Verbo suscepta... vox ad conjunctam divinitatem illam est edita, Deus Deus meus, &c.*

Sic Leporius in libello emendationis: *Divinitas cum unita sibi anima, non crucifixum hominem reliquit in penam, sed exanimam carnem reliquit ad tempus.*

Certe iis Patrum sententiis explicandis impense favet Cani sententia, secundum quam divinitatis separationem, ac recessionem ab iis insinuatam commode interpretabimur, sequestratam delectationis divinitatis (ut suimet interpres est Divus Ambrosius, gaudique ex divina visione) orturi repressionem, ac cessationem; sic ut nihil aliud Patres illi, alique nonnulli, quos recensere facile fuerit, sensisse hæc in parte videantur, quam quæd Canus explicatius, distinctiusque defendit.

Haud me fugit, Magistrum Sententiarum l. 3. diit. 21. §. 1. aliam laudatorum Patrum interpretationem excogitasse: *Divinitatem scilicet separasse se foris, ut non adesset ad defensionem, sed non desuisse intus ad unionem. Sed etsi non contentinenda illa expositio videatur; opportunior forte ex Cani sensu perita interpretatio censetur. Nam priori modo exposita separatio divinitatis, de qua laudati Patres; non ad mortis tantum agonem referenda foret, sed ad totum mortalis vite tempus; quo certe divinitas separata est foris, ut non adesset ad defensionem, juxta illud Augustini sermone nunc 77. n. 11. *Deus est; & fit homo: seponit divinitatem, id est, quodammodo sequestrat, hoc est, occultat quod suum erat, apparet quod acciperat.* Speciale vero extremo agoni fuisse videtur, ut etiam divinitas separata sit intus juxta Cani sensum, interioris scilicet gaudii repressione, non unionis hypostaticæ solutione.*

Jejunum porro est, quod in oppositum obijci solet.

solet. Primo, delectationem a Dei frutione sejungunt non posse; quia fieri nequit, ut summum bonum sine delectatione videatur. Secundo, minus congruere, ut Christus aliqua beatitudinis perfectione defrauderet; alias Sanctis Deo in cœlo fruētibus fuisset inferior. Tertio, eadem libertate fingi posse, Christum interdum visione beata fuisse privatum. Quarto, pari jure statuum fuisse, Christum toto pene vite tempore gaudio illo ex divina visione profluente destitutum fuisse: cum frequentissime tristatus sit, tum in peccata hominum intuens, tum mortem suam uti præsentem animo revolvens.

Primum negatur omnino, si Dei præsertim potestas attenditur. Non enim gaudium fruitio ipsa est, sed fruitiois quietæ consecrarium. Hinc fruitur homo arboris suæ fructibus, suisque divitiis avarus, cum etiam per morbum voluptatem ex eis nullam capiat.

Secundum nihil movet. Nemo enim defraudatur volens: Id porro voluisse Christum, contendit Canus, in majoris caritatis argumentum; alias & gloria corporis toto vite tempore concedenda illi fuisset, ne & illo jure defraudaretur; & hac parte Sanctis post resurrectionem Dei fruētibus esset inferior. At sunt hæc futiles argutiæ. Semotis quippe quibusvis illis beatitudinis consecrariis, Sanctis omnibus præstabat vel hoc solo titulo Deus homo, quod Deum præ illis altiori longe modo cernebat ejus anima, persona comprehenderet.

Tertium nihil plus officit. Visio etenim essentia beatitudinis est, delectatio consecrarium. Christi vero animam beatam fuisse, inconvulsam dogma est.

Quartum negatur, ob facti discrimen longe maximum. Major quippe tristitia fuit imminente morte, quam fuerit ante; minusque idcirco cum summo gaudio componenda. Rursus, quod hic maxime notatum velim, non ob id solum gaudium ex visione beata profluens, Passionis tempore repressum dicit Canus noster, quasi absoluta ratione, Deoque ita volente, cum summa tristitia sociari non possit; sed ut suam in nos Charitatem miris omnino modis ostenderet. Hæc vero in extremo mortalis vite sacrificio maxime comprobata fuit: nec quod ea extrema mortalis vite periodo ingenti miraculo factum est, ad totam retroactam Christi vitam referri propterea potest.

CAPUT IX.

Melchior Canus Divo Stephano Protomartyri nequam injurias ostenditur.

Minus nonnullis aridet Cani responso, qua gravissimam difficultatem, ex Stephani Protomartyris Concione petitam edidit lib. 2. de locis cap. ultimo. Objectæ difficultatis summa hæc erat. Genesis 23. versu 16. legimus Abraham locum sepulchri emisse quadringentis siclis argenti ab Ephron filio Seor: Ac rursus Genesis 33. versu 19. Jacob agri partem, in qua fixerat tentoria, emisse centum agnis a filiis Hemor patris Sichem. Stephanus vero Protomartyr concionem ad Judæos habens, a Luca relatum Actuum 7. narrat versu 16. Jacob, & filios ejus in Ægypto defunctos, translatos esse in Sichem, & positos esse in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem. Quo loco duplex videtur aberratio contineri: Tum quod Abraham non emisset a filiis Hemor, sed ab Ephron filio Seor: Tum quod

Hemor, a quo verius emerat Jacob, non fuerit filius Sichem, sed pater.

Eo ut se nodo Canus expediat, cum variis interpretum expositiones attulisset, quibus recitata auctororum verba conciliare nituntur; eaque partim coactas, partim solvendo nodo impares observasset; Bedæ tandem, & Rabani solutionem amplectitur; qua nempe contendunt, Stephano id, quod vulgo fere solet, accidisse, ut in longa videlicet narratione, eademque præsertim subita, confuderit nonnulla, & miscuerit: in quibusdam etiam memoria lapsus fuerit, in iis divinatæ, que ad rem parum, aut nihil omnino attinent. Nam causa, de qua potissimum agebatur, erat intentus. Lucas vero historia veritatem retinere volens, ne jota quidem immutavit, sed rem, ut a Stephano narrata erat, exposuit.

Canis sententiam, quidquid Æmuli cavillentur, ipsa in primis argumenti necessitas probabilem facit. Quandoquidem vix alia, que plane objectæ difficultati respondeat, expositio suppetit. Probabilitatem auget Bedæ, ac Rabani mediæ ætatis Scriptorum auctoritas, quos deus fecutus est Canus. Venerabilis Bedæ, quem Rabanus exscripsit, hæc verba sunt in Commentariis ad eum Scripturæ locum: *Docet Genesis, Abraham ab Ephron filio Seor Hebræi in Caribarbe locum Sepulchri quadringentis argenti siclis emisse, in quo ipse Abraham, Isaac, & Jacob, & Adam Protoplastæ sepulti: Itemque Jacob de Mesopotamia reversum, juxta urbem Sichem, parvam agri, quo tabernacula tenderet, ab Hemor patre Sichem datus centum agnis accepisse. Non emit ergo Abraham ab Hemor Sichemita, sed ab Ephron Hebræo, in quo duodecim Patriarche non sunt sepulti, sed in Sichem. Verum beatus Stephanus vulgo loquens vulgi magis in dicendo sequitur opinionem. Dicit enim pariter narrationes conjungens, non tam ordinem circumstantis historia, quam causam, de qua agebatur, intendit. Qui enim insinulabatur adversus locum sanctum, & legem docuisse, pergit ostendere, quomodo Jesus Christus ex lege monstraverit esse promissus, & quod ipsi nec tunc Moysi, nec Domino nunc servare voluerint. Hæc ut potius dixi, non præjudicans sententia meliori, si adsit.*

Has Venerabilis Bedæ, & Rabani Mauri interpretationes mutuatus est verus Auctor Glossæ ordinariæ in Actus Apostolicis, necnon etiam Nicolaus de Lira in suis ad eundem locum Commentariis.

Nec defuere secutus inde temporibus magni nominis Viri, qui Cani sententiam vel amplexi omnino sint, vel saltem uti probabilem admodum commendarint.

Petrus Lorca Cisterciensis Ordinis, & Complutensis Academiæ professor eximus 2. 2. post q. 16. in append. ad tract. de fide disput. 2. memb. 3. num. 24. etsi Melchioris Cani sententiam non paucis displicere notet, eam tamen sibi satis probari significat. Tertio inquit, obijcit narratio Stephani, Act. 7. in cujus expositionem libenter amplecterem responsum sapientissimi magistri Melchioris Cani lib. 2. de locis cap. ult. Stephanum pro celeritate sermonis, & fervore spiritus alio intentum, pauca illa transmisisse, ut pro Jacob, Abraham, pro Patre, filium dixerit. Nam si id dicamus, primo in Scriptura nullum mendacium admittitur, Scriptura enim non illo modo refert historiam, sed refert Stephanum ita locutum: Deinde nec Stephano aliquid detrahatur: nam leves illæ immutationes historia facile, & absque omni culpa contingere poterunt. Quin potius Scripturæ veritas maxime commendatur; quia referens viri sancti sermonem, prout ipse protulit, punctum, & verbatim narra-

narravit, non omittens illa etiam, in quibus memoria lapsus est. Que solutio absque omni nota, & scrupulo admitti potest: Tum quia primo tradita est a Sancto Beda, & Rabano in commentariis huius loci: Tum etiam si quid contra obijci potest, illud est, quod Stephanus ante, & post illam narrationem plenus Spiritu Sancto dicitur: In eo autem, qui Spiritu Sancto plenus loquebatur, nefas est admittere non solum mendacium, sed nec lapsam aliquam memoriam, & lingue, in quo a veritate deviet. Hoc tamen non urget, quia Stephanus dicitur plenus Spiritu Sancto, quatenus erat plenus gratia, & sapientia, non tamen quia Spiritu Sancto movente, omnia, & singula locutus fuerit. Nec est verbum, quo hoc modo per Spiritum Sanctum locutum fuisse convincatur. Et certe solutio hec omnem difficultatem evacuat, & infidelibus plus satisfacet, qui calumniari non poterunt, aliquid gratis excogitatum esse ad fugam argumenti.

Emmanuel Sà Societatis Jesu in annotationibus ad hunc locum: Quidam dicunt, Stephanum intentum, ut sit, in aliud, pro Jacob dixisse Abraham, & pro Patri Sichein, filii Sichein: Lucam vero fideliter, quod ille dixerat, retulisse. Que mihi opinio non displicet. Nec enim id repugnat Stephani sapientie, & Spiritui, quo plenus erat. Accidit enim id interdum sapientissimis, & sanctissimis.

Guillelmus Estius in annotationibus, Stephanum quidem memoria lapsum disertis, distinctisque verbis non asserit: sed id nihilominus adstruit, unde illum memoria lapsum esse necessario colligit, cum diversas historias in unam ab illo commixtas fuisse contendat. Ita quippe habet: Hic difficultas in historia concilianda: Ac primum leve illud est, quod postremo loco dicitur, Hemor filii Sichein, cum Hemor Pater fuerit Sichein. Nam in greco tantum habetur *ὁ πατήρ*, quod juxta fidem Historie Genesios, & Josue, vertendum potius erat, Patris Sichein. Sed cetera multum dissepere videntur, & continere commixtas diversas historias; Nemp de spelunca duplici in Hebron, quam ab Ephron Hebræo emit Abraham quadringentis siclis argenti; ubi sepulti sunt Sara, Abraham, Isaac, Rebecca, Lia, Jacob, Gen. 23. 25. 35. 49. & 50. & alteram de agro Sichein, quem a filiis Hemor Hebræi patris Sichein emit Jacob centum agnis, ubi sepultus est Joseph. De eo habes Genes. 33. & Josue ultimo.

Salianus in Annalibus veteris Testamenti ad annum mundi 2175. num. 8. Graviter hoc loco exoritur difficultas ex cap. 7. Actuum, ubi Dirus Stephanus ait, hunc sepulchri locum ab Abrahamo emptum a filiis Hemor filii Sichein: cum hic dicatur emptus ab Ephron filio Seor. Postmodum eorum relata opinione, qui Ephronis patrem binomium fuisse putant, subiungit: verum quia dicitur Jacob emisse partem agri a filiis Hemor patris Sichein, censuit Beda, & Rabanus, Dirum Stephanum duas pariter narrationes conjunxisse, nec tam ordinem historie, quam causam, de qua agebatur, intendisse. Ac demum concludit: Eligat lector utram interpretationem amplecti malit. Ego venerabilis Bedæ, & Rabani expositionem non improbo, cui vides graves, & doctos viros subscripsisse.

Natalis Alexander in dissertatione anticritica contra Frassenium art. 46. difficultatem istam expendens data opera: Si vulgata versio, inquit, servetur, dicendum, Sanctum Stephanum lapsu memoria duo facta similia confudisse, emptionem scilicet ab Abrahamo factam, de qua Gen. 23. cum

et, que a Jacobo facta est Gen. 33. vers. 19. A-

grum quidem, in quo erat spelunca duplex, emisse Abraham ab Ephron quadringentis siclis argenti: Jacob vero emisse partem agri, in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor patris Sichein, centum agnis: Stephanum utramque historiam confudisse: Sanctum vero Lucam ne jota quidem immutare voluisse in Sanctis Protomartyris verbis. Quam quidem observationem multis confirmat Alexander, variisque contra Frassenii cavillationes momentis confirmat. Tot porro suffragantibus viris doctissimis, an non tibi videtur Canus in tuto esse?

CAPUT X.

Accusatio de vellicato nomine Societatis Jesu depellitur.

SCRIBENS Melchior Canus lib. 4. de locis cap. 2. de Ecclesia, hujusque nominis potestatem expendens ex Epist. 1. ad Corinth. cap. 1. ita habet: Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi: Que sine dubio Societas cum Christi Ecclesia sit, qui titulum illum sibi arrogat, si videant an Hæreticorum more, penes se Ecclesiam existere mentiantur. Quo loco Jesuitas, ob arrogatum sibi Societatis Jesu nomen, tacite fugillari persequitur est: Tametsi, ut Canus excutent, nonnulli repugnent, qui Lutheranos, & Calvinistas eo loco perstringi dicunt, Ecclesia nomen Marcionitarum, & Donatistarum more sibi superbius arrogantes. Verum conatu plane irrito. Canus siquidem non eos ibi designat, ac mordet, qui penes se Ecclesiam existere mentiuntur; sed illos potius, qui Societatis Jesu sibi titulum arrogant. Vereturque, ne & ipsi, contra mentem Apostoli, penes sese Ecclesiam existere mentiantur. Quid ergo? nihil ne excusationis habeat Canus, quod id nominis in Ignatii filii vellicare ausus sit? Dicam ego simpliciter, quod res est: Canus ea ætate temporum scripsisse, qua rebus nondum ad liquidum perductis, finitæ nescio quæ de nascente Societatis instituto suspiciones virorum etiam insigni ingenia occupaverant, quas successu temporis religiosa Societas eluit. Nec mirandum idcirco, si finitrum quidpiam de arrogato sibi, ut plurimum videbatur, superbo Societatis Jesu nomine fuerit suspicatus vir alias prudentissimus. Fuit enim hæc illi tum temporis cum aliis multis suspicio communis, cujus nobis & domestici Societatis, & extranei testes fidem plurimam faciunt.

Franciscus Suarez tomo 4. de relig. tract. 10. lib. 1. cap. 1. num. 9. Non desuere, inquit, viri Catholici, & docti arrogantie Patrum Societatis tribuentes, quod Nomen universæ Catholicæ religionis sibi usurparent. . . . Atque hic primus dicitur fuisse articulus consensu, quem contra Societatem Universitatis Parisiensis edidit.

Cardinalis Sfortia Pallavicinus in Vindicationibus Societatis Jesu cap. 6. Certarunt, inquit, nonnulli invidiam creare huic nomini, tanquam superbiiori. . . . Accusatio hæc levior videretur, quam ut in ejus purgatione immorarentur, nisi grandia Theologorum nomina illam nobis intentassent.

Jacobus Augustinus Thuanus in historia tomo 1. lib. 15. Jesuitæ postea, inquit, novo, atque, ut plerisque visum est, superbo nomine appellati sunt. Quibus paria refert Alexander Ziliolus in historia rerum memorabilium, parte 1. lib. 9. pag. 241.

Et quidem Academia Parisiensis in judicio, quod intante augustissimo Galliarum Senatu, de

de nascente Societate tulit anno 1554. die 1. Septembris, cujus fragmentum exscribit Nicolaus Orlandinus in historia Societatis suæ parte 1. lib. 15. num. 45. Hæc nova Societas, inquit, insulam nominis Jesu appellationem peculiariter sibi vindicant, &c.

Conventus etiam Episcoporum Gallia Piffiaci congregatorum anno 1561. Patres Societatis Parisiensis admittendos censuit, ea inter alias conditione, ac lege, ut Jesuitarum, aut Societatis Jesu nomen deponerent: Que cetera Compagnie des Jesuites esset recie par forme de Societè & College, & non par forme de Religion nouvellement instituée, a la charge qu'ils seroient tenus de prendre autre titre, que de Jesuites, ou de la Societè de Jesus, &c. Uti fusius legere est apud Stephanum Pasquier, in Oracione pro Academia Parisiensis, habita in augustissimo Galliarum Senatu, anno 1564, quam ex integro inferuit lib. 3. disquisitionum, seu ut gallice scribit, des Recherches.

Quæ omnia non idcirco sunt a me recitata, ut vel id nominis religiosis viris ereptum velim, vel etiam jure a quoquam vellicatum existimem: sed ut omnes intelligant, hæc primitus infudisse viris etiam maximis opinionem, quæ Melchiori nostro, antequam subobscuro initio rebus nonnihil lucis accederet. Nec idcirco laudatissimo Theologo succensendum, si quid superbiæ ea in appellatione initio suspicatus sit, tot, ac tantis in eandem suspensionem adductis viris variorum Ordinum spectatissimis, antequam Gregorius XIV. anno 1591. suspensionem demum omnem amovisset, ita peculiari diplomate decernendo: Status nomen Societatis Jesu, quo laudabilis hic Ordo nascens a Sede Apostolica nominatus est, & hæcenus insignitus, perpetuis futuris temporibus in eo retinendum esse. Imo præ cæteris venia dignior habendus est Canus, qui quod de nova illa Societatis Jesu appellatione judicium fecit, modeste admodum, & oblique duntaxat inquit, quod alii plerique apertis, & invidiosis declamationibus prodiderunt.

CAPUT XI.

Judicii Pontificii in Religiosis Institutis approbandis indeficientia, qualis a Melchiore Cano negata sit, explicatur.

ECCLESIAE in religiosis Ordinibus approbandis indeficientiam a Melchiore Cano negata lib. 5. de locis, cap. 5. multi volunt, ejusque ea de re iudicium summæ temeritatis arguunt, atque audaciæ. Sic porro ille eo loci: Ordines igitur vel probare, vel refellere, quoniam non e scientia id solum, sed etiam e prudentia pendet, non ad ea pertinet, in quibus summus Pontifex errare nequit. Quod subinde multis ostendit argumentis.

Si quis tamen Cani mentem intimitus explorare velit, nihil ab eo traditum inveniet, quam quod Theologorum vulgus agnoscat. Duo quippe in instituendis Ordinibus fecerunt prudentissime: Primum, quod ad substantiam Ordinum spectare dicunt, vota scilicet, legesque, quibus viri religiosi ad Christianam perfectionem veluti manu ducuntur: Alterum, quod ad circumstantias institutorum Ordinum, multitudinem scilicet, necessitatemque, pro temporum, locorumque ratione, pertinere volunt. In primo decernendo, non in altero, Ecclesiam falli nesciam communiter docent. Hoc ipsum dedita opera propugnat Franciscus Suarez, ex iis scilicet unis, qui in Melchiorum Canum liberius declamant, tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 17. num. 18. Omnino sentendum, & dicendum est, non posse errare Pontificem

in approbatione religionis, quoad iudicium de bonitate, & sufficientia talis modi vivendi, ut sit status perfectionis acquirendæ, seu religionis; quidquid sit de approbatione practica, quoad licentiam, & facultatem introducendi de novo aliquam religionem, & quoad iudicium prudentiale, in quo talis concessio fundatur.

Disertius vero, & explicatius Dominicus Bannes in 2. 2. quæst. 2. art. 10. dub. 8. concl. 5. Possibile est, summum Pontificem ex negligentia, aut ignorantia, aut falsa informatione aliquo modo errare, secundum prudentiam, in approbatione, & confirmatione plurium Religionum, quam opus erat in Ecclesia Dei. Nunquam tamen hujusmodi error cedat in perniciem Ecclesie, quavis quibusdam possit esse nocivus. Utraque pars conclusionis facile a nobis probabitur. . . . Nostra conclusio ita est intelligenda, ut error, qui contingere potest in confirmandis Religionibus, non sit major, quam qui accidere potest in multiplicatione legum Ecclesiasticarum de iis rebus, quæ ad salutem necessaria non sunt, ut ita, vel aliter fiant, nisi solum propter legis obligationem. Cum igitur in hujusmodi communibus legibus, juxta communem etiam opinionem Doctorum, possit summus Pontifex minus prudenter procedere, non est quare timeamus asserere, quod etiam in confirmandis tot, tanque variis Religionibus, ex quibus in Ecclesia confusio potest oriri, & talia incommoda ad perfectam Ecclesie, & tranquillam gubernationem emergere, possit etiam summus Pontifex minus caute aliquam, vel aliquas Religiones approbare, & confirmare.

Quid aliud amabo Canus noiter? perspicua ejus verba sunt, modo quis mentem intreadat. Ordines, inquit, vel probare, vel refellere, quoniam non e scientia id solum, sed etiam e prudentia pendet, non ad ea pertinet, in quibus summus Pontifex errare nequit. Ea igitur parte Pontificii iudicii deficientiam admittit, in qua non scientia, sed prudentia duce decernit. Scientia porro duce de religioso status substantia iudicat, prudentia vero de accidentibus.

Et vero nihil aliud suis in probationibus inculcat vir eruditus, quam de accidentibus, & circumstantiis, multitudinæ scilicet, & utilitate religionum verti questionem. Duplicit enim capite assertionem suam evincit: Primo, quod nimia religionum multitudine nonnunquam exortæ sint querimonie in Conciliis, scilicet Lateranensis, & Lugdunensis: Secundo, quod nonnullæ primitus approbatæ, successu temporis, mutatisque rerum conditionibus, ut noxiæ, vel certe inutiliter extinctæ sint. Quapropter dum ait, imbecillitatem eorum argumentum est, quod ex hujusmodi privilegii, quæ iis facile temporibus vel conceduntur, vel potius extorquentur, novas religiones non aliter, ac de celo lapsas excipiendas esse confirmant, eas quoque, quæ nullam ex approbationibus habent, nullam, vel a suis editam profitentur: non ipsam novarum religionum substantiam infestatur, sed consecutaria accidentia, ex privilegii extortis consecuta, quibus demum evenire solet, ut noxiæ tandem, & iuultiles habeantur. Unde & concludit: Nostræ hinc seculo tam multe sunt religiones a Pontificibus confirmatæ, ut qui eas omnes tueri voluerit, tanquam Ecclesie vel utiles, vel necessarias, hic imprudentie, ne dicam stultitiæ nomine, jure optimo, summiusque rationibus arguatur. Quod quam verum, certumque sit, paulo post probavit eventus, dum Pius Quintus Pontifex Sanctissimus Ordinem Humiliatorum ab Ecclesia subulit, alique subinde Pontifices alios ut inutiliter sustulere.

Nihil ergo a Melchiore Cano hoc de argumeto dictum existimo, quam quod Theologi de more docent: adeo ut mirari mihi fubeat, litem illi

hac ipsa de causa fuisse a plurimis intentatam. Quamquam, ut fatear ipse quod cenfeo, in eum commoverit aliqui paulo vehementius, quod suum fortasse institutum oblique ab eo vellicatum putent; cujus, ut arbitrantur, confirmationem ætate sua recentem moleste tulerit. Sed cum id Cani verba non postulent, non est de religiosissimo viro, Episcopoque dignissimo temere pronuncian- dum, nec interni animi sensus incusandi sunt, ubi innocia verba se produunt.

Non desunt qui, ut majorem illi invidiam creent, factam eo loci in prioribus editionibus de Societate recens confirmatam expressam mentionem dicunt; quæ tamen e posterioribus a prudentibus curatoribus expuncta sunt. At id pro arbitrio dictum, cujus nulla probatio. Et quidem extant hic Patavii, ubi hæc scribo, primæ editionis anno 1563. Salmantica: apud Matthiam Gassium adornata exemplaria duo; alterum quidem in celebri Abbacia Divæ Justinae; alterum in Cœnobio Divi Augustini, in quibus ne verbum quidem, quod a posterioribus dissideat editionibus deprehenditur: nec dubitandum, quin cetera omnia ejusdem primæ editionis exempla per omnia, & in omnibus congruant.

Addunt idem Cani osiores, istiusmodi priorum editionum, specialem Societatis Instituti mentionem habentium codicem ab Ozorio visum, quo & ipse ad eisdem constitutionem usus sit. Sed & Ozorio ipse, qui Cani sententiam perperam ac latius quam par est, intellectam prolixè confutat par. 2. Institutionum moralium lib. 5. cap. 7. nihil vel de fugillata ab ipso nominatim Societate, vel de prioribus editionibus aliter, quam hodierna habeat sententiam, omnino habet. Subjungunt pari fidentia, ac libertate iidem reprehensesores, servari illorum codicum unum Romæ in quadam bibliotheca. At quæ sit illa, ne iniquum quidem, quod profecto, si res ipsa sic esset, diligentius adnotassent. adeo ut perspicuum sit, fervidiores illos Cani accusatores nil nisi verba dare, ut decantatas saepe nenas, atque fabellas speciosis pigmentis obducant.

Paris levitatis est alterum a Morerio in Dictionario Historico exaratum commentum, & a Dupino transcriptum, in nova Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum tomo 17. sæculo 16. *Academiam Salmanticensem Cani consilio repugnasse Philippo Secundo Hispaniarum Regi dato, de justitia belli adversus quemcumque suprema etiam in terris dignitate fulgentem inferendi ubi de ruendis Coronæ juvenis ageretur.* Cujus quidem assertionis testem Nicolaum Antonium Bibliothecæ Hispanicae Scriptorum advocat Morerius. Tantum enim abest, ut Cani consilio Academiam Salmanticensem repugnasse significet Nicolaus Antonius: ut potius id consilii Philippo datum asserat, non sine tunc Collegii Salmanticensium Theologie, ac Juris Doctorem suffragatione.

CAPUT XII.

De S. Augustino temere depresso circa immortalitatem, & originem animarum, querela repellitur.

Lippis, & cæcis scripsisse Cartesium puto, dum in suis adversus Canum expostulationibus, eidem fidenter affingit, quod Augustino licentius insultavit lib. 12. de locis cap. 15. ubi post insinuatam nonnulla Scriptorum oracula, quibus Sanctissimus Doctor animæ immortalitatem colligere sibi visus erat, ita subjungit Canus noster: *Quod Augustinus affirmat, ex lege Moysis esse ceteris evidentius, id ne probabile quidem mihi videri solet; ut*

animas ab interitu vindicemus. Solis quippe oculis opus est, ut internoscatur quilibet iis uti voluerit, ea a Carterio corrafa Melchioris Cani verba non certam summi viri sententiam continere, sed verius objectionem, cui ille multis interjectis responderet ad finem capitis, ubi: sed jam tempus est, ut objectiones oppositas repellamus, &c. Quapropter in refellenda criminatione adeo futili operam ludere nolum.

Meliori fortasse fide, at non ita insigni eruditionis, ac doctrinæ specimine Canum laceffit idem Carterius, quod Augustinum in eam opinionem, quæ animas a parentibus generari docet, magis inclinasse, dixerit, seque eam hodie tanquam errorem condemnare significavit lib. 12. de locis cap. 15. Equis enim nesciat in eam re ipsa sententiam inclinasse Augustinum, aut certe hæsisse dubium, num ex traduce fierent animæ nostræ: certoque posuisse, quætionem illam totam ad fidem Catholicam minime pertinere? Quod unum Augustino tribuit, eo loci Canus noster. In eo quippe totus est Sanctissimus Doctor, quatuor ferme libris editis de origine animæ, tribus ad Optatum datis epistolis, alteraque Hieronymo inscripta, quæ est 28. ac demum lib. 10. de Genesi ad litteram cap. 6. & sequentibus. Id porro citra Pæsulis Hipponensis injuriam, pro sui conditione temporis, ut erroneum rejicere potuit Canariensis Episcopus, quod ille pro ætate quidem sua innoxie, & inculpate tradiderat. Augustini enim ætate, ac tum deinceps, ad undecimum usque sæculum, dubia in Ecclesia Catholica quæstio erat de origine animarum; Patrum quidem aliis eas in singulorum hominum conceptione a Deo creati opinantibus; aliis non creati illas a Deo, sed ex parentis anima traduci statuentibus: ut plane Augustini dubitatio veterum Patrum suffragatione niteretur. Quod multis adversus Bellarminum, mœmentis evincit Cardinalis Henricus de Noris in Vindiciis Augustinianis cap. 4. §. 3. Secutus vero temporibus tam altis in scholis Theologorum radices egit ea sententia, quæ singulas singulis corporibus creati a Deo animas ponit, ut a multis inter fidei capita numeretur. Quid ergo peccavit Canus, quamve Augustino irrogavit injuriam? Etsi enim diversa senserit ambo, uterque tamen pro. fut. conditione temporis recte sensit.

Neque enim in iis numerandus est Augustinus, neque a Melchiore Cano numeratus est unquam, qui animas per corporeum semen traduci cum Tertulliano commentis sunt: (quem sensum hæreticum pronuntiavit Doctor Angelicus prima par. quæst. 118. art. 2.) cum & id diserte damnarit Hipponensis Antistes epist. 157. ad Oceanum. *Illi, qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequantur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri. Quo perversius quid dici potest? At id unum ut summe voluit, seu verius de hoc uno dubitavit, Utrum incorporeum anime semen, sua quadam occultâ, & invisibili via, seorsum ex patre curvat in matrem, cum sit conceptus in femina? An, quod est incredibilis, in semine corporis lateat? Quod quidem incorporeum semen, seu materiam spiritualem, ex qua fieret anima, captu semper difficilem exhibuit: maxime vero lib. 7. de Genesi ad litteram cap. 7. ubi tam multa de ea querit, nihil certo definiens, statuensque, An illa spiritalis materia, si fuit ulla, unde anima fieret; vel si est ulla, unde anima sunt, quod ipsa est? quod nomen quam speciem, quem usum in rebus conditis tenet? Vivit, an non? &c.*

CAPUT XIII.

De commissis invicem Romanis Pontificibus Pio II. & Sixto IV.

Haud multo æquior in Canum Theophilus Raynaudus diatriba 2. de immunitate Cyriacorum, cruda in eum verba jacens, quasi Romanos Pontifices in edendis decretis humano affectu ductos scripsisset lib. 5. de locis cap. 5. *Nec sapientior suis idem Canus (Theophili verba sunt) in negotium signatum sanctæ Catharinæ Senensis quæ, a Sixto IV. Ordinis Minorum abrogata, & soli Sancto Francisco adscripta, affirmat admissa a Pio II. Senensi, quippe Beata Catharinæ civæ. Videndus lib. 5. de locis cap. 5. Quasi Pontifices colludere, & ex sæculi, ac carnis legibus moveri, ad decernenda plane contraria, res si flocci faciendæ.* Iniqua profecto, si uspiam alibi accusatio. Certe Sixtum Quartum factas Divæ Catharinæ imagines cum stigmatibus pingi deinceps vetuisse, pictasque deleri justissime anno 1483. indubitata res est, historicorum bene plurium testimonio confirmata. Nec minus certum, Pium Secundum, re plenius discussa, non modo pictas illas cum stigmatibus imagines permisisse, verum etiam eo sacrorum stigmatum privilegio donatam Divam Catharinam carmine celebrasse.

*Quem laetæ virtus, factusque clarum
Quo nequit dici sanctus per orbem?
Vulnere formam miserata Christi
Expressit ipsa.*

Quam subinde litem Prædicatores inter, & Franciscanos pendentem, Urbanus Octavus ex Sacra Rituum Congregationis consulto, die 16. Februarii 1630. nullo disertius, firmissimisque Prædicatoribus adjudicavit. Non ergo culpandus Canus, quod illud Romanorum Pontificum in factis duntaxat historicis invicem dissidentium exemplum dederit. Nihil quippe certius, & exploratius, Reprehensioni ut ut maxime obnoxius videretur, si Sixtus Quartum, & Pium Secundum humanis duntaxat affectibus ductos innuisset, ut ita pugnantia decernerent. At nihil eiusmodi Canus noster, sed ita simpliciter; *Sixtus IV. docuit Divam Catharinam Senensem stigmatata non habuisse; non desuit, qui contra judicavit. Neutrius Pontificis judicium ad Ecclesiam spectat; utrumque aut probare, aut improbare sine fidei discrimine possumus. Ubi ne Franciscana quidem Sixti Quarti professio, aut Pii Secundi patria, nomenve, unde ad contraria decernenda moti credi possent, insinuantur.*

CAPUT XIV.

De objecta Pontificibus uehementia, & oscitantia in castigandis Divorum Historiis.

Raynaudum accipit, & æquivoco verbo luisse existimabam, dum Canum nostrum æse Pontificiæ majestatis reum agit, diatriba 2. de immunitate Cyriacorum a censuris, quod is lib. 11. de locis cap. 6. obiter innuisset, in castigandis,

corrigendisque rerum sacrarum historiis, Divorumque, ut ajunt, legendis, *Romanorum Pontificum prudentiam, & diligentiam desiderari.* Id enim a religioso Præfule haud dubie dictum arbitrabar, ut Pontificum hac in parte diligentiam, prudentiamque requiri, seu hanc illis necessario adesse significaret; quo tetricus censor pro desse, ac deficere perperam accepisset, ut cavillandi ansam arripere. Priori quippe sensu verbum hoc a latinissimis etiam scriptoribus interdum accipi nemo nescit. Cicero pro Quintio, *qui in vita rationem summi officii dederimus, & instituta bonorum virorum requiramus.* Lib. 5. epist. 104. ad Atticum: *Hæc longam desiderant orationem.* Verum cap. 6. libri 11. de locis semel & iterum evolventi mihi, assida Melchiori verba reperire minime contigit: ac fallor maxime, si quis ea sit reperitur; cum privatos ibi duntaxat Scriptores perstringit, qui in Divorum præsertim prodigiis describendis sparsos rumores & excepere, & scriptis etiam ad posteros retulere; quorum in libris miraculorum monstra sæpius, quam vera miracula legere sit nulla Romanorum Pontificum mentione facta, quorum prudentiam, ac diligentiam in ea sacrorum dehonefatione castiganda, corrigendaque desiderari significavit. Ut quid ergo tam amarulenta Theophili Raynaudi in modestum, ac moderatum Theologum declamatio? *Hujus sacrorum dehonefationis culpam omnem in Pontifices refert superciliosus censor, solo nomine Canus, dicens eorum hac in parte prudentiam, & diligentiam desiderari. Itaque dormitant, vel etiam alio stertunt Pontifices, dum Canus solus vigilat; Et inimico homine supereminante zizania fabularum, pro sacris historiis socordes, judice quidem Cano, Pontifices viam muniunt ad aberrationem fidei omnibus sacris historiis per cordatos faciendam.* Gerra profecto, gerra, eaque vanissima viri ferrei oris, animique (ut mitius loquar) parum prudentis, & cauti in clarissimo Theologa deprimentando.

Non antea institutis hisce Vindicationibus finem imponam, quam stupendam Ambrosii de Altamura cespitationem lectorum oculis sistam, arguamque (etsi nihil ad clarissimi Theologi defensionem res ista pertineat) qui Melchiorum Canum nepotis sui initio libri 11. meminisse ait, illiusque gratia volumen illud edidisse, illique, nisi prius fato cessisset, nuncupaturum fuisse. Vah pinguem errorem, puridumque anachronismum? de patre liquidem, non de nepote loquitur Canus. Perpicuus adeo locus est, ut oculis tantum egeat, non interprete. *Superiorum locum, inquit, vix dum finieram, & ecce nuntius affertur, Parentem meum carissimum Vienna diem extremum obiisse. . . . Cum autem ego illi meas has lucubrationes nuncuparem, scilicet a laboribus, quos ejus potissimum causa susceperam, aliquandiu cessatum est, &c.*

Quamquam & ipse nepotem cognomine habuerit, ejusdemque Instituti Dominici professorem, eximie Sanctitatis fama apud suos, exterofque clarissimum; cujus pietatem, mentemque divinis charismatibus perfusam commendat Diva Teresa epist. 16. quæ est ad Rev. P. Dominicum Bannes. Verum obiit Canus noster anno 1560. die 6. Novembris. Nepos autem vivere decessit anno 1607. die 30. Martii.